

tionem manuum; non credebant aecclesiam esse, nec per id quod continet dici posse id quod continetur; nuptias cum benedictione non debere fieri, sed accipiat quisque qualitercumque voluerit; nullum esse episcopum, nec posse ordinare per consuetos ordines presbiterum, quia spiritus sancti non habet donum; filii Dei genitricem se habere similem et per omnia iactabant, cum nec similis visa sit nec habere sequentem.

Venerabilis autem praesul huiusmodi rem animadvertens, Aurelianis cum sapientioribus Floriacensis loci pervenit, convictisque adversariis divinorum librorum testimoniis, a prefato rege igni iussi sunt tradi¹⁾, ignibus mancipandi perpetuis. Previdens autem in posterum, uti christianissimus cultor, suę professionis cultum posteris tali reliquit sub titulo, quam in conventu generali fratrum huiusmodi protestatus est exordio:

45. 'Ego', inquit, 'Gauzlinus gratia Dei preveniente prius Floriacensium abba, post archiepiscopus Bituricensium, ante omnia fidei documenta verbis simplicibus assero, id est patrem et filium et spiritum sanctum unum Deum esse confirmo; totamque in trinitate deitatem coessentiali et consubstantiali et coeternali et omnipotentem predico, singularem quamque in trinitate personam, plenum Deum et totas tres personas unum Deum profiteor. Incarnationem divinam non in patre neque in spiritu sancto sed in filio tantum credo, ut qui erat in divinitate Dei patris filius, ipse fieret in homine hominis matris filius, Deus verus ex patre, homo verus ex matre; carnem ex matris visceribus habentem et animam humanam rationalem, simul in eo utriusque nature, id est hominem et Deum, unam personam, unum filium, unum Christum, unum dominum creaturarum omnium, quę sunt, et auctorem et dominum et rectorem cum patre et spiritu sancto confiteor, passum esse vera carnis passione, mortuum vera corporis sui morte, resurrexisse vera carnis suę resurrectione et vera anime resurrectione, in qua venit iudicare vivos et mortuos assero. Novi et veteris testamenti unum eundemque credo auctorem et dominum et Deum, diabolum non per conditionem sed per arbitrium factum malum. Credo huius, quam gestamus, et non alterius carnis resurrectionem. Credo iudicium futurum et recepturos singulos pro his, quę gesserunt, vel poenas, vel premia. Nuptias non prohibeo; secunda matrimonia non dampno; carnum perceptionem non culpo; poenitentibus reconciliatis communicari debere confiteor. In baptismo omnia peccata, id est tam illud originale contractum, quam ea, quę voluntarie admissa sunt, dimitti credo, et extra aecclesiam catholicam nullum salvari confiteor. Sanctas sinodos VI, quas universalis et mater aecclesia confirmat, confirmo'.

Explicit liber primus.

Incipit secundus.

46. Dum Floriacensis conventus totius prosperitatis vernaret in floribus, temptator antiquus, totius boni aemulus, ac si alterum Iob debellandum adoritur, qui divino permissu omnia assiduis Sabeorum rapinis diuturnisque cepit demoliri pressuris. Deinceps altius consurgens in ira suę malignitatis, argumenta in eius accingit pericula. Quocirca anno dominicę incarnationis

1) Bis hierher reicht die Uebereinstimmung mit den Miraculis.